

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 103. Sententia hujus consessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

Sæcul. XV.  
A.C. 1408

vendum, ac toti Galliarum regno gravissima quævis, si ei obedientiam denegaret, mala illaturum. Tandem eundem schismatis, ac hæresis nota perstringens non modo Pontificiis insignibus, sed omnibus Ecclesiæ dignitatibus merito spoliandum, Pontificii nominis omnino indignum, nec eidem obediendum esse pronuntiat, ideoque omnes collationes, & provisiones a tertia Maji anni præcedentis factas, penitus nullas, necnon dicti Petri de Luna fautores, aut receptores intra Galliarum fines tanquam læsæ Majestatis reos esse puniendos.

### §. CIII.

#### *Sententia hujus Congressus.*

Absoluto sermone Senatus per suum Cancellarium effatus est, regiæ suæ Majestati cuncta, quæ Doctor ille proposuisset, grata, ac rata esse. His dictis sententia lata est, Benedictum non tantum schismaticum, sed etiam hæreticum esse, quia per obstinatam suam schismatis propagationem funditus everteret Articulum fidei *de unitate Ecclesiæ*, proindeinceps omnem eidem obedientiam esse denegandam, nec ullam in eo agnoscendam dignitatem, nec Papam, & ne quidem Cardinalem amplius dici posse, sequa-

sequaces ejus tanquam schismatis fauto- **Sæcul. XV.**  
 res puniendos, omnesque Beneficiorum **A.C. 1408.**  
 collationes a tertia Maji ab ipso factas,  
 nullas esse declarandas: Bullam vero pu-  
 blice per Universitatis Rectorem tan-  
 quam injuriosam, seditiosam, & læsfæ Ma-  
 jestatis crimine infamem dilacerandam,  
 nullasque amplius Petri de Luna literas  
 a Rege acceptandas esse. Præterea U-  
 niversitati injungendum, ut Prædicato-  
 res deinceps conciones suas juxta præ-  
 sentis decreti leges per totum Regnum  
 instruere juberet; Episcopum vero San-  
 Floriensem, qui in Arragoniam tanquam  
 Legatus missus esset, Regi ab utriusque  
 Pontificis obedientia defectionem persua-  
 surus, revocandum esse, quod Benedicti  
 obfirmatum in schismate animum sovere  
 argueretur. Tandem Decanum sancti  
 Germani Antisiodorensis, ceterosque, qui  
 in fabricanda, vel transmittenda hac Bul-  
 la operam contulissent, comprehenden-  
 dos, ac severitate legum castigandos.

## §. CIV.

*Bulla Benedicti Papæ dilace-  
rata.*

Rex Bullam eodem tempore sibi exhi-  
 bitam confessim suo Cancellario red-  
 didit, a quo Rectori tradita est. Hic  
 vero